



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.3. Nova hæresis in Suevia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

ad quartam generationem a beneficiis <sup>Sæcul.XIII.</sup>  
 exclusos, & concessa illis privilegia omnia <sup>A C.1248.</sup>  
 esse sublata & nulla declares. Dabat  
 13 Maji.

## §. III.

*Nova hæresis in Suevia.*

**C**ensurarum contemptio in Germania <sup>Alb. Stad.</sup>  
 usque ad apertam hæresim progres- <sup>an. 1248.</sup>  
 sa est, ita, ut hoc anno 1248 eam defen-  
 sores sui publicis concionibus Halæ Sue-  
 vorum spargerent, quo regionis Optima-  
 tes æris campani sonitu convocaverant.  
 Dicebant, Papam hæreticum, Episcopos  
 sacrilegi mercatus reos esse; sacerdotes  
 ob peccata sua ligandi & solvendi potesta-  
 te carere, atque ob conscientiam gravi-  
 ter sauciam panem vinumque in Christi  
 corpus & sanguinem convertere haud  
 posse; omnes illos homines a longo tem-  
 pore profanis imponere. Neminem vi-  
 vum, nec Episcopum, nec Papam officium  
 divinum posse interdicere, idque auden-  
 tes esse hæreticos ac deceptores. Facie-  
 bant quoque copiam in urbibus interdi-  
 cto affectis assistendi sacrificio, & Sacra-  
 menta suscipiendi tanquam noxarum for-  
 des eluendi media. Perhibebant insu-  
 per, Fratres Prædicatores Minoresque  
 falsis sermonibus suis Ecclesiam perverte-  
 re, pravamque agere vitam, velut e-



Sæcul. XIII. tiam Cistercienses, cæterosque omnes  
 A.C. 1248. monachos.

Nos soli vera loquimur, adjungebant,  
 & fidem operibus sequimur. Nisi nos  
 venissemus, Deus alios concionatores,  
 qui Ecclesiam vera doctrina illustrarent,  
 e lapidibus suscitasset potius, quam in pe-  
 riculo eam reliquisset. Vestri oratores  
 hæcenus vera celarunt, quæ nos dete-  
 gimus: falsa dixerunt, quæ nos silentio  
 premimus. Ille, qui hæc protulit, ser-  
 monem suum sic finiebat: Indulgentia,  
 quam nos vobis damus, non est ficta, nec  
 a Papa, sed a Deo solo venit. Vix au-  
 demus Papæ mentionem facere: est cor-  
 ruptus nimium ac pessimi exempli homo.  
 Orate pro Cæsare Friderico, & filio ejus  
 Conrado, qui justitiam & omnes virtu-  
 tes colunt! Conradus in Germania agens  
 protegebat hæreticos, hac ratione se ac  
 patrem suum defendi ratus. Hæc Al-  
 bertus tunc vivens, qui relicta Stadenfi  
 Abbatia in Saxonia institutum Fratrum  
 Minorum amplexus erat.

## §. IV.

*Cædes Marcellini Aretini Episcopi.*

Fridericus odio & contemptu dignum  
 se reddebat. Hyemem ad Parmam  
 transegerat, eam se capturum confidens;  
 cum obsessi per quendam desperationis  
 impe-

*M. Paris.*  
 f. 643.